

potentialitas animæ ad utramque formam possit magis, vel minus subijci, et terminari, atque impleri tali forma.

XXX. Et tota hæc explicatio sumitur ex D. Thoma qui secutus philosophum posuit augeri formam, et magis intensam fieri non per hoc quod fiat nova forma, sed per hoc quod præcedens magis participetur a subjecto. Et quidem philosophus in IV physicorum, textu LXXXIV, dicit: « Ex calido fieri magis calidum nullo facto in materia calido, quod non esset calidum quando erat minus calidum, » vel ut habet translatio Argyropoli: « Ex calido fit magis calidum nulla prorsus ipsius parte emergente calida, quæ non erat ante calida, cum calida minus erat. » Ex quo fit consequentia, et argumentum sic: Ex calido fit magis calidum nulla prorsus ipsius parte emergente calida; ergo nullo prorsus emergente calore, qui ante non esset in subjecto calido. Patet consequentia, quia in actione naturali idem est fieri calorem, et fieri calidum, nec enim calor fit nisi in subjecto, et ut inhærens, nulla enim actio naturalis facit calorem secundum se, nisi educendo illum a subjecto, et uniendo illi; ergo nulla actio naturalis facit calorem, sed calidum. Si ergo nullo calido facto nec parte aliqua emergente calida, quæ ante calidam non esset, fiat magis calidum, similiter neque facto aliquo calore, qui ante non esset fit magis calidum, quia idem est fieri calorem, et fieri calidum. Si autem advenit nova forma, seu pars, vel entitas caloris, utique fit novus calor; ergo et novum calidum, quod ante non erat calidum illo calore novo sic adveniente.

XXXI. Quod si dicas hoc non esse inconveniens, nec contra philosophum, quia solum dicit non fieri de novo calidum, quod ante non es-

set calidum, non tamen negat fieri de novo calidum, quod ante calidum erat. Qui autem ponunt novam partem caloris fieri, dicunt fieri novam calidum, quod ante jam erat calidum, licet minus. Sed contra, quia si fit novum calidum, seu novus calor, qui ante non erat, non potest fieri ex ipso calore, seu ex ipso calido, quod ante erat, quia ille novus calor, seu nova entitas caloris debet educi de potentia subjecti, seu de non calore, non autem de ipsa forma caloris, quæ antea erat, aut de ipso calido, quia calor, seu forma, quæ ante erat, non est subjectum ex quo educitur ille novus calor; educitur ergo ex non calido, seu ex subjecto, ut est in potentia calidum; ergo si dicit philosophus, quod magis calidum fit nulla emergente parte calida, quæ ante calida non esset, est idem ac dicere, quod non fit novus calor, seu nova entitas caloris, quia hæc semper debet educi ex non calido in potentia, non ex calore in actu.

XXXII. Hoc ergo supposito, ex philosopho docet S. Thomas intensionem fieri per hoc quod subjectum magis reducatur in actum, et forma magis insit in subjecto, et perfectionem participationis modum in ipso habeat. Videri potest sanctus doctor 2-2, quæstione XXIV, articulo quinto, ubi inquit: « Quod nullo modo charitas augeri potest per additionem charitatis ad charitatem, sicut quidam ponunt, sed augetur per hoc quod subjectum magis ac magis participat charitatem, id est, secundum quod magis reducitur in actum illius, et magis subditur illi. » Et concludit: « Quod hoc est augeri secundum essentiam (quia tota essentia hujus formæ est in ordine ad subjectum) non autem per hoc quod charitas addatur charitati. » Et solutione ad tertium, inquit: « Quod augmentatio charitatis importat

mutationem secundum magis, et minus habere, et ideo non oportet quod insit aliquid, quod prius non infuerit, sed quod magis insit, quod prius minus inerat. » Idem eodem fere tenore tradit hic quæst. LII, articulo II, præsertim ad secundum et tertium. Luculentius vero quomodo fiat ista major unio, major participatio, et inhæsiō in subjecto explicat in I, dist. XVII, quæst. II, articulo II ad tertium, ubi inquit: « Quod non est de ratione intensionis alicujus qualitatis, quod sit per remotionem contrarii, sed hoc accidit qualitati secundum quod est in subjecto participante (id est, actu habente) contrarium. Sed hoc est de necessitate intensionis, ut qualitas educatur de imperfecto ad perfectum, sicut patet in diaphano id quod nihil est contrarium luci, quo potest lumen intendi secundum incrementum virtutis illuminantis. Hoc autem imperfectio est ex potentialitate ipsius naturæ, quæ subijcitur perfectioni, et actui. Cum enim omnis potentia receptiva ad multa se habeat secundum istam multitudinem ipsius, dissimile est principio agentis, quod est terminatum ad actum unum, et secundum quod ista confusio potentialitatis magis subijcitur actui, perfectior perficitur actus, et ipsum perfectivum magis efficitur unum, et magis assimilatur principio agentis. »

XXXIII. Ubi manifeste D. Thomas explicat modum intensionis in quo consistat, videlicet in hoc quod forma sic educatur de imperfecto ad perfectum, et de potentia ad actum, quod ipsa confusio potentialitatis, quæ se habet ad multa, terminetur ad unum: forma enim vincit potentialitatem subjecti reducendo ipsum in actum, et si potentialitas est ad plura inter se contraria, ibi quasi confuse est utrumque, quia potentialitas confundit, et actus qui dis-

tinguit. Quanto ergo forma plus de illa confusione tollit, et potentialitatem ad plura in unum reducit, perfectius terminat, et actuali potentialitatem illam, et illa dicitur nova unio, nova terminatio, aut nova eductio formæ, non quantum ad esse ipsius formæ, quia jam habet illud, neque quoad novam entitatem, quia jam tota entitas est in forma, sed quoad novum effectum, et modum in subjecto, quod ita vincit potentialitatem illam, quod quantum est ex vi informationis formæ, non relinquit locum alteri formæ contrariæ, aut impedimento illius, sed tota illa confusio, et potentialitas terminatur, et subijcitur sub illa forma, et sic dicitur magis vincere subjectum et virtuosius informare, et reducere ad se, quia minus relinquit locum alteri formæ quantum est ex parte subjecti, et tunc laxius et imperfectius informat quando de se locum dat oppositæ formæ, etsi per accidens eam de facto non habeat. Unde licet formæ substantiales non recipiant magis, et minus in informando materiam, tamen quia dispositiones accidentales plus, vel minus dant locum contrariis dispositionibus tendentibus ad corruptionem, dicitur etiam ipsa forma imperfectius, vel perfectius esse in subjecto non ratione sui, sed suarum dispositionum. Ad hoc autem ut forma sic vincat potentialitatem subjecti, debet in se intrinsece perfectior reddi, licet nova entitas non accrescat, et hac ratione sæpius dicit D. Thomas non posse intelligi quod augetur qualitas per radicationem, et non secundum essentiam, seu essentialiter, hoc est, intrinsece per illum modum, non per additionem essentialis prædicati, aut novæ entitatis, sed quia fortiori modo unitur vincendo confusioem potentialitatis subjecti ad plures formas conjungendas. Et sic unitas formæ fa-

cit ad intensionem, quia virtus unita fortius agit, id est, magis unita, et magis unum faciens de illa potentia-
tate subjecti.

XXXIV. An vero gradus isti, seu modi, et terminationes formæ sic se habent quod adveniente uno alius destruat, statim dicemus; verisimilius est enim quod sic, quia se habent ut diversæ figuræ, aut situs ejusdem corporis, adveniente enim uno destruitur alius.

XXXV. An vero quolibet actu fiat intensio, etiam si actus remissus sit, tractabitur hoc latius in 2-2, quæst. xxiv agendo de augmento charitatis, an statim detur quando per actus remissos meremur illud. Quod vero attinet ad physicam actionem augentem, et intendentem ipsam formam, statim agemus ostendendo quod solum ab intensiori actu physice augeri potest, quia inferior, et inæqualis actio proportionem non habet ad perfectionem effectum.

ARTICULUS VII.

Expediuntur difficultates circa utrumque augmentum extensionis, et intensionis.

I. Circa utrumque augmentum aliquæ difficultates sunt communes, aliquæ speciales, præsertim circa intensionem, ideode utrisque hic simul agemus.

II. Prima ergo difficultas est, quia tam augmentum extensivum, quam intensivum acquiritur, et fit nova actione sufficiente producere novam entitatem, seu qualitatem, qualitas etiam sic augmentata accipit virtutem, et perfectionem potentem producere novos effectus reales; ergo augmentum hoc novam exigit realitatem, et qualitatem, et non so-

lum novum modum. Antecedens quoad primam partem probatur, quia actio sufficiens acquirere qualitatem entitative est quæcumque alteratio etiam minima, actio autem intensiva est actio ejusdem speciei, et vehementior, verbi gratia, calefactio imperfecta ut unum sufficit producere entitatem calori, actio vero extensiva est calefactio vehementior, verbi gratia ut quinque, velut sex; ergo ista calefactio non minus erit sufficiens producere entitatem caloris, quam calefactio ut duo, cum sit vehementior et perfectior. Quoad secundum vero probatur, quia habitus magis extensus producit novos effectus reales, verbi gratia, novos assensus circa novas conclusiones, quas non potest attingere habitus non extensus; et forma intensa, et vehementior producit diversos effectus reales, si quidem est major, et fortior virtus, quam remissa. Unde videmus quod crescente calore, aut frigore diversimode immutantur corpora quam si sit temperatus, et multi alii effectus fiunt, qui non a qualitate remissa. Consequentia vero probatur; tum, quia nova actio novum effectum debet producere, et cum illa actio sit sufficiens producere entitatem, novam entitatem de novo producet, alias calefactio vehementior, et perfectior solum producet modum, et qualitas imperfecta et remissa entitatem; tum, quia novus effectus realis petit novam formam realem; ergo si facta intensione, forma ipsa novos effectus reales facere potest, novam formam realem per talem intensionem acquirat.

III. Confirmatur, quia intensio fieri per majorem radicationem, seu per novum modum unien-
di, et firmandi qualitatem in subjecto, maxime ponitur propter D. Thomam qui id videtur dicere; tum in hac quæstione LII, articulo II,

tum in secunda secundæ, quæst. xxiv, articulo v et in I, dist. xvii, quæst. II, articulo II et quæstione prima de virtutibus, articulo XI. At in istis locis clare dicit qualitatem secundum essentiam augeri, et propriam vocem ignorare eos qui dicunt augeri per radicationem, et non secundum essentiam. Ergo D. Thomas fatetur ipsam entitatem, seu essentiam qualitatis crescere, et augeri per istam intensionem, et non solum ei supervenire modum. Nec potest dici, quod D. Thomas solum intendit, quod qualitas augetur per modum intrinsece receptum in accidente, qui est nova unio. Contra enim est, quia præterquam quod videtur violentum essentiam rei interpretari pro modo essentiæ superaddito, obstat etiam, quia D. Thomas ideo vult qualitatem in intensione augeri essentialiter, quia redundat illa radicatio in augmentum virtutis, sed virtus non est modus qualitatis, sed ipsa entitas; ergo sentit D. Thomas augmentum illud fieri per additionem entitatis. Antecedens patet ex ipsis verbis D. Thomæ in I, dist. xvii, quæst. II, art. I, ubi reprobans opinionem eorum qui dicebant: « Charitatem non augeri essentialiter, sed augeri, quia firmatur in subjecto secundum radicationem, inquit, ex hoc ipso sequi quod augeatur essentialiter, quia nulla forma potest intelligi magis firmari in subjecto, nisi per hoc quod habet majorem victoriam super subjectum suum: augmentum autem victoriæ redundat in augmentum virtutis, et per consequens in augmentum essentiæ, quia virtus si non est ipsa essentia, oportet quod sit ab essentia et commensurentur si bi sicut effectus causæ proximæ. » Igitur apud D. Thomam ipsa entitas qualitatis non solum modaliter, sed entitative immutatur et augetur per intensionem, si

quidem accipit augmentum virtutis, quæ virtus est ipsa essentia, seu entitas formæ.

IV. Respondetur actionem intensivam esse sufficientem ad producendam entitatem caloris absolute, quando eam non invenit productam, et positam in subjecto, concedo; ad producendam entitatem caloris ut novam, et superadditam, et augmentativam, nego. Aliud est enim quod actio intensiva possit eandem entitatem caloris in se producere, quam producit actio etiam remissa: aliud quod possit producere entitatem novam pro augmento, ita quod per entitatem superadditam augeatur. Primum est verum, et argumentum probat, quia quod potest producere calefactio remissa, potest perfectior et vehementior, quæ intendit. Secundum vero est falsum, quia pro augmento non servit nova et superaddita entitas per additionem componens, sed eadem simplex qualitas novo modo meliorata, et firmata. Ad secundam vero partem antecedentis dicitur, quod illos novos effectus reales potest producere illa realis qualitas sic modificata, ita quod non solus modus concurrat, et influit in illum novum effectum realem, sed ipsamet realitas influit, licet supponat modum illum ut perficientem, et determinantem talem virtutem, ut efficiat novos effectus. Itaque entitas ipsa qualitatis est virtus, et activitas substantialiter potens ad omnes illos effectus, et quasi radicaliter, oportet tamen determinari, et disponi per modum illum, ut possit actualiter in illum novum effectum prorumpere.

V. Et hoc ideo, quia qualitas, seu virtus non potest operari nisi ut unita subjecto, eo quod virtus solum est principium quo operandi, non principium quod, hoc enim est ipsum concretum, seu subjectum ha-